

Nos reputans illum fas demere nomine claro,  
 Cum foret insignis principis Ausonici.  
 Hæc dubiam stabilis fixit tamen anchora mentem,  
 Ne fleret titulum pagina muta suum :  
 Quin vice defuncti supplex sua munia complens,  
 Ipse darem faustus Cæsaris hæc manibus.  
 En opus, en cœptum tanto sub nomine carmen,  
 Examen vestrum spectat adesse pium.  
 Huc ades Augusti clementia, semper in omnes  
 Quæ virtute vales, et bonitate viges.  
 Sobrietatis habes laudes hic, bella, tropæa.

Ingenio vigili carmina scripta brevi.  
 Quæ si forte tuo donentur nempe favore,  
 Ad decus Ecclesiæ fers pia dona sacrae.  
 Hic via, vita, salus, divis hic inclyta gazis  
 Dona Dei rutilant, quæ super astra vocant.  
 Quo te decursum post hoc feliciter ævum  
 Regna beata tenens collocet Omnipotens.  
 Hæc igitur salebro sint quamvis carmina versu  
 Obscuro, ne temnas, rex pie, sed relegas.  
 Cæsar, vive potens, felix, sine fine valet,  
 Hucbaldique memor sis, rogo, posco, precor.

## EPITAPHIUM MILONIS

MONACHI S. AMANDI ELNONENSIS HUCBALDI MAGISTRI,

AUCTORE HUCBALDO

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

Milo, poeta, sophus cubat hoc sub marmore clausus,  
 Carmine dulciloquus, qui librum Sobrietatis  
 Edidit, et, sanctum pulchre depinxit Amandum  
 Floribus exornans, metro prosaque venustans,  
 Tanti pontificis palmam, caput [*al. capit*] atque coronam.

## HUCBALDI EPITAPHIUM DUPLEX.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VI.)

I.

Dormit in hac tumba simplex sine felle columba,  
 Doctor, flos et honos tam cleri quam monachorum,  
 Hucbaldus, famam cujus per climata mundi  
 Edita sanctorum modulamina gestaque clamant.  
 Hic Cyrici membra pretiosa, reperta Nivernis,  
 Nostris invexit oris, scripsitque triumphum.

II.

Præcluis orator, sudans opobalsama cosmo,  
 Archas mellifluus rhetor super æthera notus,  
 En Hucbalde Pater, salve per sæcla verenter.

B Tu lampas monachis, tu flos et doxa peritis :  
 Te plebs æternum lugens sibi deflet ademptum.  
 Vige jure, sophista, vale, theophile, chare.  
 Ediderat stylo examussim certamen honesto  
 Matris Julitæ, Cyrici prolisque venustæ,  
 Ceu doctor celebrer gnarus per cuncta magister.  
 Laudetur, vigeat, quod quæso, legatur, ametur.  
 Hæc quisquis legis, Requiem dico det Deus illi  
 Palmam cum superis gestet super astra choreis,  
 Gloria pauper hæc peregit metra clienter,

ANNO DOMINI DCCCXXX.

# STEPHANUS PAPA VII *al.* VIII.

## NOTITIA HISTORICA

(Apud Mansi, Conciliorum collect., tom. XVIII, col. 381.)

Stephanus, patria Germanus, opera Othonis regis, posthabito cardinalium suffragio, electus est a Romanis anno Christi Redemptoris 939, tempore Constantini VIII et Romani, imperatorum Orien-

talium. Hic a tyrannis, quorum odium propter suam electionem in se concitavit, crebris ictibus sacrilegis facie deformatus fuit. Albericus enim, qui his temporibus principatum in Urbe gerebat, existimabat